puto, MIRABILEM ipſum cognominaverit. Non ergò temerè, non fortuitò cognomen illud Christo impoſitum fuit ab Eſaia: ſed ille in Spiritu jam olim vidit, qualis Puer, nobis natus, ac Filius, nobis datus, eſſet futurus. Unde hic honoris titulus nemini propriè niſi JESULO noſtro competere poteſt. Ne verò gratis dixiſſe hoc videar; ecce ego eundem titulum paulò accuratius perpendam, atq; Vobis interim, Auditores, ob oculos mentis penitius cum reſpectu Perſonæ, tum reſpectu Officii ſpectandum

JESULUM PUERUM MIRABILEM

ſiſtam. Age nunc ſelectiſſima Eruditorum Virorum corona, atq; tuo favore curſum Orationis leva, ut quod ipſe mihi circumſcripſi ſtadium facilius æquè ac felicius decurram. Noſtis ipſi Venerandi ac optimi Domini Auditores, equum poppyſmate demulſum in curſu alacriorem reddi.

Quando Prophetarum auguſtiſſimus Eſaias Puerum nobis natum ac Filium nobis datum Mirabilem vocavit eum ad ſex potiſſimum θαυμάσια in perſonâ Chriſti reſpexiſſe credibile eſt. Primum idq; maximum omnium θαυμάσιον æterna JESULI noſtri eſt Generatio. Hæc, hæc quippe è ſubſtantiâ Patris æterni ab æterno facta ita eſt mirabilis, ut nullâ ratione queat comprehendi: unde nec modos ejusdem rei proferes, nec ſub cauſarum rationem rem contrahes, quæ nulli cauſarum ſubjacet rationi. Simul DEUS Pater, ſimul voluntas generandi, ſimul generatio, ſimul Filius genitus, omnia in ſimpliciſſimâ æternitate, ἀχρόνως, ἀϊδίως in unâ immensâ eſſentiâ non extra. O arcanum oculis humanis penitus abſconditum! o myſterium mentibus hominum planè reconditum! Superant hæc omnem humanum captum, Coëſſentialem Patri â Patre ab æterno generari, ab æterno è ſubſtantiâ Patris eſſe genitum, ab æterno eſſe generationis voluntatem et generationem. Sileant igitur hîc fanatici Muhammediſequæ: qui, rationis collyrâ dementati, DEUM non ab æterno generaſſe Filium ineptè vel inde colliqunt, quòd uxorem in matrimonio non habeat. Sileant Photiniani Christomachi, omnibus veris Chriſtianis meritò exoſi; qui, dum in multis fidei rebus ſe aſſociant Turcis, æternam generationem eludunt atq; elidunt: non piaculo ducentes rationis judicia in myſteriis divinis ſequi. Neq; illi nimis intelligendo faciunt, ut intelligant nihil intelligere incipiunt, deſipiunt tandem, et evitatâ errorum craſſiſſimorum Scyllâ in Charybdin incidunt. Alterum θαυμάσιον Pueri nobis nati & Filii nobis dati ſingulari